PORRÒ intra duos muros, qui suo ambitu circuli arcum præ se ferũt, ad vtrunq; .h. muri transuersi latus, idq; inter d.i. & i.e, attollendi sunt & alii duo muri obiecticii, qui suis lateribus versus k. protracti, octo-decim pedũ crassitiẽ obtineant. Ab hinc itẽ intra duos muros circu-lares ad singula latera, inter d.i. & i.e. conficiendi sunt & alii duo muri obnixi, qui eandem cum superioribus latitudinem possidentes, & ipsi lateribus versus k. punctũ abscedant. Rursus & quatuor muri inter crassiores iam ductos extru-entur, in singulis fornicibus ad decem pedes crassi, qui & ipsi versus k punctum vergant. Ac si cui placebit angulos versus.n.o. confirmationis gratia, ex lapidi-dibus cõstruere, id sanè vt roboris permultũ adferet, ita minimè improbãdum erit. Hoc igitur modo prior fundamenti portio à nobis perscripta sit: posterio-ris verò quadrati murorum ratio sic instituatur. Area duobus l.m. & d.e. mu-ris inclusa, per sui medium longitudinem versus tertio muro intercipietur, qui decem pedibus crassus efficiatur. Post hæc in singulis crassi muri lateribus bi-ni muri crucis instar mutuò impliciti ducentur, quorum quisque duodeviginti pedum latitudinem sortiatur. Ab hinc continuo & alii quoq; muri, itidem cru-cis formam præ se ferentes, vtrõq; versum intra crassiores illos ita costruentur, vt decem quisq; pedes sui latitudine comprehendat. Deniq; in ipsis areis quas mœnia hæc intercipiunt, ex quadrato lapide muruli vel crucis in modum, vel angulares attollentur, ita vt quadrangulæ triangulæve areæ passim reliquæ fiant. Atq; hoc modo futuri operis rationẽ qua fundamento incumbit, absolutè perscripsimus, vsi in di-mensionibus quadrato pede. Quare & hic lineam hisce pedibus centenis commensuratam protraximus, qua vniuersam propemodum valli constructionem, quæque ad huius rationem consequen-tur dirigemus, & conmen-surabimus.

Regula centipeda, qua fere totius valli dimensio constat.